


OT
Ks

I
5.
CV^o 32

Zur Volligkeit des Königl. Buchdruckh. aus
Mitschr. von Hausegger's Sch.



50

DISSERTATIO THEOLOGICA POSTREMA
DE
**OBSIGNATIONE
CHRISTI ET CREDENTIVM:**

QVAM,
AVXILIANTE DEO PROPITIO,
PRAESIDE
A D A M O S T R V E N S E E,
S. S. THEOL. PROFESSORE PVBLICO,
PASTORE AD AEDEM B. VLRICI, ET GYMNASII HALENSIS
SCHOLARCHA,

PATRONO ET PRAECEPTORE SVO
OMNI PIETATE AETATEM SVSPICIENDO,
AD DIEM APRILIS MDCCCLIV.

H. L. Q. C.

PVBLICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIE T

GOTTHILF GVSTAVVS VHDE,
MEZLICHA MAGDEBURG. S.S.THEOL. CVLTOR.

HALAE,
LITTERIS GEBÄVERIANIS.

DIESELBE TITELBLATT DER DIESER BUCHS

DEUTSCHE LITERATUR

CHRISTIANE GEORGIANAE

ANNO MDCCCLXVII

IN VENETIA

PER FRANCISCA

ADAMUS & FRANCISCUS

IN VENETIA

PER FRANCISCA

VIRO
ILLVSTRI, CONSVLTISSIMO,
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,
DOMINO
IOANNI CHRISTIANO
V H D E,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE
A CONSILIIS SECRETORIBVS,
PROCVRATORI FISCI GENERALI
LONGE GRAVISSIMO:

N E C N O N

VIRO
ADMODVM VENERABILI,
DOCTISSIMO,
DOMINO
ANDR. GODOFR. VHDE,
ECCLESIAE MEZLICHENSIS PASTORI
VIGILANTISSIMO,

PATRONO, COGNATO
ET PARENTI
SVMMO PIETATIS CVLTV AETATEM SVSPICIENDIS:

HANCCE DISSERTATIONEM
PVBLICE VENTILANDAM,
IN DOCUMENTVM AC TESSERAM
SVBMISSIONIS, PIETATIS, AMORIS
AC GRATIARVM PERENNIVM,
CVM HVMILLIMA ATQVE ARDENTISSIMA
SVI SVORVM QVE STVDIORVM
COMMENDATIONE

D. D. D.

OTAK DEFENSOR

DE

OBSIGNATIONE CREDENTIVM
ACTIVA.

§. LXVIII.

Vnicum tantummodo locum in codice sacro inuenio, qui Obsignatio expressis verbis actiuae obsignacionis mentionem facit. acutus.
Reperitur iste Ioan. III, 33; ubi verba ita se habent: 'Ο λαβὼν ἀντὶ τὴν μαρτυρίου, ἐπεφεύγοντεν, ἵτι ὁ Θεὸς ἀληθής εἴη *'). Sunt haec effata Ioannis Baptiste **), quae protulit, quam discipuli eius

* Optime in h. l. differit IO. BRENTIUS, cuius verba hic adponere ac legere non poenitebit. Sequenti modo sece habent: Testimonium Iesu accipere, est credere, seu fidem adhibere euangelio, quod Iesus docet: obsignare autem, est assensu et testimonio suo confirmare. Quod ergo Ioannes dicit, hanc habet sententiam: Qui adibet fidem euangelio Iesu Christi, is testatur et confirmat sua fide et assensu, quasi sigillo quedam, Deum esse veracem. Nam, quemadmodum honestus vir, qui in cera publicarum litterarum imprimis sigillum annulo suo, testatur et confirmat suo sigillo, ea, quae in litteris continentur, vera ita, ut conscripta sunt; acta eft: ita, qui doctrinam Iesu Christi fide accipit, is confirmat fide sua, quasi sigillo et annulo, quod Deus sit verax, et promissi sui seruans.

Maximus autem et excellentissimus, Deoque gratissimus cultus est, tribuere Domino, Deo nostro, gloriam et laudem veritatis.

Ut enim nihil turpius, nihil foedius, nihil magis satanicum est, quam mendacium: ita nihil honestius, nihil amabilius, nihil diuinius est veritate.

**) Insigne σφάλματος μημονίκου CHRYSOSTOMI, verba haec Hom. XLIII. in Ioan. citantis, quasi Christus illa protulisset de se et Patre suo, adnotauit RITTERSHUSIVS Var. Lect. Libr. V. c. XVI, non sine salubri de conditionis humanae labilitate moneta. Conf. IO. CHRISTOPHORI WOLFI Cur. Philolog. et Critic. in b. l.

eius finistre interpretari inciperent, atque criminis dare vide-
rentur, quod Christus suis Iudeos baptizare permitteret,
multique ad eum venirent, ut doctrina salutari ab eo instituerentur.
Contristatus Ioannes de tanta suorum inscitia tamque
peruersa indignatione, discipulos suos acriter refutat, modestiam
suam submissionemque animi iis declarando, atque excellen-
tiam Christi extollendo. Refert ad Christi excellentiam,
quod fit Sponus ecclesiae, quem crescere oporteat, et quod
testis sit veracissimus, qui non solum de vita aeterna testimonium
firmum proferat, sed et ipse det salutem aeternam,
qui ipsi confidunt, immo confirmat testimonium suum ita in
credentibus, ut omnis dubitatio cesset, firmiterque de veri-
tate euangelica persuasi, fideles ipsi confiteantur atque confir-
ment, quod Deus sit veracissimus, promissiones suas salutares
certissime implens.

§. LXIX.

Momenta
consideran-
da.

Ad duo capita commode referri possunt, quae de obsigna-
tione actiua Ioannes loquitur. Primo subiectum obsignans de-
scribitur, et postea de obsignatione ipsa sermo est. Obsignan-
tes sunt, qui testimonium Christi recipiunt. Vbi iterum du-
plex oritur quaestio: altera est, quidnam testimonium Christi de-
notet? altera vero, quid testimonii receptio?

§. LXX.

Testimoni-
um Christi.

Duplici ratione μαρτυρίᾳ τῷ Χριστῷ accipi potest. Intelligi-
tur enim per eamdem testimonium, vel quod Christus ipse dixit,
vel quod alii de Christo dederunt. Prior explicatio hoc loco
preferenda est; posterior vero non plane negligenda. Christus itaque de semetipso testatus est, voluntatemque diuinam
de consequendae salutis ratione hominibus reuelauit. Ipse
Phariaeis dicit Ioan. VIII, 14.18: ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἔμαυτοῦ.

Testi-

Nec non FRID. ADOLPHI LAMPE Commentar. Analytico - Exe-
get. Euang. sec. Ioann. in b.l. et IOAN. CASPARI SVICERI Thes.
Eccles. p. uig.

Testimoniuim ipsum legitur v. 14: quod scilicet sit τὸ φῶς τὸ κόσμος, καὶ τὸ φῶς τὸν λόντα, et, quod is, qui eum sequitur, in tenebris non sit ambulatus. Per Christum quoque Deus ad nos locutus est, Hebr. I, 1. Deum enim nemo vidit unquam; unigenitus eius Filius, qui est in sinu Patris, is exposuit, per eumque gratia et veritas contigit. Ioan. I, 17, 18. Ob hocce testimonium, quod de semetipso et Patris sui voluntate Christus edidit, testis omni exceptione maior merito appellatur. Est enim ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθὸς, immo ὁ Ἀμὴν καὶ ἡ ἀλήθη τῆς οὐρανοῦ τῷ Θεῷ. Apoc. III, 14 *). Cognitus est ut talis testis

ab

*) Praeclara sunt et notata dignissima, quae **CAMPEGIUS VITRINUS** in *observationibus sacris Libr. III. Cap. I. §. IV. seqq. pag. 500.* de Christo, teste vero, iurato et explorato, habet. Quumque hic liber fortasse non in omnium lectorum benenolorum sit manibus, pace eorum nonnulla, rem maxime illustrantia, ex eodem hic adponam. Sequentia autem modo mentem suam vir doctissimum exponit: „Testis Christus dicitur Apoc. III, 14 „Amen, quia testabatur hominibus, Deum ita esse, ut se futurum promiserat. Verus et pius Israëlite interrogabat Christum: „an non promisit Deus, te futurum Deum Abrahami? Abrahamum habitum semen, in quo omnes familiae terrae sint bendicendae et sanctificandae? Christus respondebat: Amen, „praestitit promissa illa Deus, et implevit. Instanti vero Israëlitae, ac implementum illorum excellentium promissorum querenti et circumspicienti, ac tandem roganti, tunc ergo es illud semen sanctificans, Abrahamo promisum? regerebat Christus: „Amen, promissa Dei praestita sunt, et in me impleta; ego is sum, qui ostendo, Deum esse veracem in iis, quae ecclesiae pollicitus est. Conf. Ief. LXV, 16. Amen autem non tantum notat testem, qui testatur, rem aliquam ita se habere, sed et iuratum testem, qui ipse amen responderat alicui ipsum folemniiter adiuranti, ut verum testaretur. Moris enim erat apud Iudeos, ut testes adiurarentur a indicibus, eamque ad adiurationem tenerentur dicere, amen. Sic habet traditio antiqua **Cosa Schevnoth Cap. IV.**

R 3

„§. III.

ab ipsis Pharisaicis ac primoribus populi iudaici; ea licet dissimilauerint, quae de Christo cognita compartaque habuerunt,

ac

¶. III: Iuramentum quomodo? Dixeris quis duobus; adiuro
 „vos, et dixerint amen: tenentur. MAIMONIDES eiusdem titu-
 li Cap. IX: Iudices dicunt tefli: nos te adiuramus per Iehouam
 „Deum Israelis, aut per illum, cuius nomen est Milericors; te-
 „filiis vero respondet: amen. Teflis igitur adiurabatur, et qui
 „dicebat, amen, iurabat solemniter, se a iudicibus rogatum verum
 „loquuturum esse. Manifesta illius adiurationis exempla sunt in
 „sanctis scripturis. Num. V, 19. Deuter. XXVII, 16. Haec egre-
 „gie ad Christum Dominum adplicantur. Christus Iesus, inter
 „Iudeos versatus, magnifica atque excellentia praedicabat et te-
 „flabatur. Dicebat, se esse lucem mundi, vitam hominum, pa-
 „nem et caelis descendente, Filium Dei *idem*. Stupebant Iudei,
 „et haesitabant, an Christus in re tanti momenti verum testare-
 „tur. Adiurabam itaque illum in conscientiis suis; et Christus,
 „de re tanti momenti testimoniorum dicturus, sensit, se ab Israeli-
 „tis adiurari, ut verum loqueretur. Respondet Iesus, ab iis
 „quasi adiuratus, amen; verum loquitur, et ut teflis verax vos
 „neutiquam fallo. Christus teflis verus et iuratus debebat quo-
 „que examinari et explorari a gente Iudaica, quae hic confidera-
 „batur, ut dominus iudicii, cui Deus examen testimoniū commiserat,
 „Deut. XIII, 1. 2. 3. Respicio hic rursus ad mores hebraicæ gen-
 „tis, apud quam in procella judiciali obtinuit inquisitio, scrutatio,
 „vel probatio testimoniū. Examinabant nimurum testes ipsos, num
 „essent idonei, digni, quorum testimonium recipere turaret, num
 „inepti reddendo testimonio. Praeterea eorum scrutinio subiici-
 „ebant res, quae ad naturam causarum, in iudicio ventilatae, per-
 „tinebant. Postea etiam circumstantiae, quae ad ipsam causam
 „in iudicio ventilandam, proprie non spectabant. Ita quisque
 „Israelita efficiebat dominum iudicii, neque Christo testanti tene-
 „batur credere, antequam illum ut testem probe examinasset.
 „Quae ratio est, cur Christus, testimonium inter Iudeos perhi-
 „biturus, instructus fuerit eiusmodi argumentis, quae bene ex-
 „plorata Israelitas poterant conuincere de veritate testimonij ipsi-

¶. III.

ac contra conscientiae lumen et conuictionem egerint. *Nicodemus* enim, ad Iesum nocte veniens, ex animi persuasione interna ita Iesum addocatus est: Rabbi, scimus, quod a Deo veneris Magister, Ioan. III, 1. 2. Suo itaque collegarumque suorum nomine declarat, se conuictos esse, quod Christus doctor sit a Deo missus, omnibusque ad docendum alios instructus requisitus, quodque praerogatiuam habeat summam p̄ae omnibus aliis ecclesiae magistris, quippe non solum a Deo immediate missus, sed et veritates diuinitus ei reuelatas talibus confirmans signis, quae nemo facere possit, nisi Deus sit cum eo. Altas quidem de Christo *Nicodemus* cogitationes fouit protulitque; sed eum adhuc in supina veritate esse ignorantia, id ex sequentibus luculenter patet. Testimonium namque Christi, quem magistrum a Deo venientem pronuncianuit, de παλιγγενεσίᾳ, ad salutem aeternam consequendam maxime necessaria, neque vere intellexit, neque animo fido recepit. Quare et Christus commonebatur, vt foeditatem ἀπίστας eiusdem hisce detegret verbis: quod scimus, loquimur; et quod vidimus, testamur; sed testimonium nostrum non recipitis. v. II. Declarat Christus, se testem esse ἀυτόνος οὐχι πάντων, adeoque fide dignissimum, Iudeos autem testimonii caelestis efficacie resistere, neque se illi praebere obedientes. Ioannes Baptista distinctius adhuc v. 31. 32 exponit, quam testis eximius sit Servator noster, qui falli plane non possit. Namque hoc modo de Christo sermonem facit; quod αἰώνιον venerit, quod ἐπάνω πάντων sit, quod testetur, quae vidit et audiuit. Tantis ergo p̄ae omnibus aliis testibus ornatus praerogatiuus testimonium edere potuit et voluit omni receptione dignissimum. Intelligitur autem per μετρηγέσιν, a Christo datam, complexus omnium

¶ Ms. Christus ipse illa argumenta distincte recenset apud Ioannem capi V, 33. 36. 37. 39. At Christus non testatur solum, sed et δικαιοστοῖς, conflatitur homines, eosque monet sui officii, quod est ὁμολογεῖν, et fidem habere ipsi iuranti.

omnium veritatum, quae ad salutem pertinent, quasque Christus hominibus adnunciat; in primis vero euangelium, quod peccatoribus omnibus vitam aeternam offert, et donat credentibus. Hanc doctrinam salutarem Christus in munere propheticō publice adseruit, testimoniis ac signis evidenterissimis corroborauit, totaque vita, immo ipsa morte obſignauit, necl non tanto robore tantaque virtute diuina contestatus est, vt de veritate eiusdem indubitate omnes eum audientes conuinci potuerint. Ioan. VII, 46. Pf. XIX, 8.

§. LXXI.

Testimoniū de Chriſto. Quod Christus de ſemetipſo teſtatur eſt: illud et alii de eo dixerunt. Deus Pater in Filio ſuo teſtimoniū protulit.

Ioan. V, 9. Eſt autem hoc teſtimoniū Patris, quod aeterna vita nos donauit Deus, quae vita in eius Filio eſt. v. II. *Spiritus sanctus* eſt, qui teſtatur, quod Iesu Christuſ ad nos veniat per aquam et ſanguinem, vt iuſtos nos redderet ac ſanctos, Deoque acceptos, v. 6. Hanc ob cauſam Spiritus sanctus et a Patre profiſcitur, et a Iesu Christo mittitur, tamquam παράδοτος et πνεῦμα ἀληθεῖας, vt de Christo teſtetur eumque glorificet. Ioan. XV, 26. cap. XVI, 14. Teſtes de Christo habemus caeleſtes, Patrem, Verbum, et Spiritum sanctum. Sunt quoque nobis de Christo teſtes in terra, nempe spiritus, et aqua, et ſanguis. 1 Ioan. V, 7. 8. Christo omnes Prophetae teſtimoniū dant, eum eſſe, per cuius nomen peccatorum veniam confequantur; quicumque in eum credant. Act. X, 43. Scripturae ſacrae cunctae de eo teſtantur, nos in ipſo tantummodo vitam conſequi aeternam. Ioan. V, 39. Iohannes Baptiſta ob teſtimoniū de Christo a Deo missus eſt, et venit, vt teſtaretur de luce, vt omnes crederent per eum, vt Christum acciperent, potestatēmque nanciſcerentur, quo filii Dei fierent, credentes in nomen eius; c. I, 8. 9. 12. Et vt paucis cuncta comprehendam: in eo omnes veritatis teſtes conueniunt: *Iesu Christus eſt unica cauſa ſalutis, unicus fons*

fons vitae aeternae, nec est in vlo alio filius, nec vllum aliud est nomen sub caelo apud homines datum, per quod fernandi sumus: Act. IV, 12: omnia in sacro codice scripta sunt, vt credamus, Iesum esse Christum Dei Filium, vtque credentes vitam per eius nomen adipiscamur. Ioan. XX, 31.

§. LXXII.

Testes ergo de Christo adiunt complures, omnes sunt veracissimi, fideque dignissimi, ita, vt ē τῶν ἀδύνατῶν sit, ipsos quemquam vlo modo fallere. Infinita scientia, sapientia, sanctitas ac veracitas Dei triunus nullam admittit falsitatem. Et viri θεόπνευσοι, ὃντο πνεύματος ἀγίου Φρέσκενοι, mentiri nec potuerunt nec voluerunt. Firmissimo itaque hoc testimonium de Christo nititur fundamento. Est quoque μαρτυρία τῆς Χριστῆς ita comparata, vt hominibus miseris nihil laetus, suauius, ac iucundius adnunciari queat. Vita promittitur, offertur filius, saletas animi exhibetur, gloria datur aeterna. Quis umquam cogitasset, tanta homines laborare inscitia, vt lumen veritatis agnoscere nolint? tanta eos correetos esse stultitia, vt bona euangelii recusent? tanta eorum animos esse malitia, vt peccata fordia et mortifera donis caelestibus et salutibus antepontant? Haec autem est plerorumque conditio perditissima, vt tenebras magis, quam lucem ament, vt lucem, in tenebris lucentem, non comprehendant, vt inuitati ad coenam Domini venire nolint, vt Spiritui sancto resistant, vt semetipso vita aeterna priuent. De tanta peruersitate et Christus et Iohannes Baptista acriter queruntur; vterque enim dicit, *homines testimonium Christi non recipere*. v. II. 32. Testantem, immo Christum clamantem respununt, consilium eius rescindunt, ipsiusque repudiant caliginationem, et salutem aeternam aspernantur. Pro. I, 24 seqq. Vocem Domini audunt; sed corda sua indurant. P. XCV, 8. Salutem ab ipso Domino ipsis oblatam negligunt. Hebr. II, 3. Opera, quae Christus fecit, de eo testantur, quod a Patre missus sit, et Pater, qui Iesum misit, de eo testatus est: sed

S

pleri-

Pauci testimoniū
Christi recipiunt.

alios
falsos
timor

plerique hominum nec Patris vocem audiunt salutariter, nec sermonem eius in se habent manentem; quoniam, quem misit Pater, in eum non credunt. Ioan. V, 37-39. Haec subest cauila tristissima, ut *ἀπεθέστε* vitam nec videant nec habeant, sed ira diuina iis immineat in omnem aeternitatem. Ioan. III, 36. Quia enim Deo non credunt, mendacem cum faciunt, quod testimonio diuino fidem habent nullam, quod dixit de Filio suo: 1 Ioan. V, 10: hacque ratione diuinæ testificationis motus, qui ad coniunctionem et efficiendam fidem tendunt, intra se turpiter et morose exſinguunt, Deumque testantem summum summa per *ἀπνίστω* afficiunt ignominia.

§. LXXII.

*Receptio teſtimonii
ſtimoniis
quid?*

Longe aliter se reſhabent eorum, qui testimonio diuino ad ſalutem suam recte vtuntur et veram et aeternam. Illi ſunt *λαβόντες τὴν μαργαριτὴν τὸν Χριſτόν*. Audiunt Christum de veritatis in verbo ſuo teſtantem caeleſtibus cum debita attentione. Legunt virorum *Ἑρμονεύσων* ſcripta ſancta de Christo teſtimonium edentia cum maxima animi veneratione. Ponderant euangelii promissa de ſummo Dei erga homines fauore et de ſalute a Christo peccatoribus recuperata cum ſumma diligen- tia, totoque animo omnem curam cogitationemque in bona conferunt ſpiritualia, in Christo ipſis oblata. Inter commen- tationes pias a Spiritu ſancto veritatis luce diuinitus colluſtran- tur, vt apertis oculis mentis perſpiciant ſummam teſtimonii diuini excellentiam, ad commodum hominis perditissimi, et erēptionem ipſius ab omni malo vnice tendentis, ſummamque neceſſitatem poſſeffionis ac fruitionis donorum caeleſtium, quorum in ſacris paginis fit teſtificatio. Coniunctur ideo de doctrinae euangelii veritate, firmiſſimeque ſunt perſuasi, extra Christum nullam alicubi ſalutem reperiri. Adſtipulan- tur promiſſionibus diuinis, easque pleno cordis affectu ad ſe transferunt, vt cum Christo Mediatore ſuo, vnica ſalutis cauſa, arctiſſime coniungantur, eiusque ac omnium beneficio-

rum

rum caelestium participes evadant. Renunciant denique omnibus prauis sensationibus, propensionibus et cupiditatibus, summum illud suum reputantes bonum, sumnamque voluptatem et gloriam, in Christi requiescere communione, amore Dei paterno frui, solamen duclumque Spiritus sancti persentisci, et vitam degere sanctam, Deoque in Christo gratiam acceptamque. Recipientes ergo testimonium Christi, Christum ipsum accipiunt, atque *εξοτικα* ipsis datur, ut Dei filii fiant. Ioan. I, 12. Accipiunt quoque, tamquam credentes in Iesum Christum, Spiritum sanctum. c. VII, 39. c. XX, 22. Act. I, 8. c. II, 38. c. VIII, 15. Et quemadmodum Iesum Christum acceperunt: ita in eo per Spiritum sanctum ambulant. Col. II, 6. Hac ratione credentes in Iesum, seu, quod idem est, testimonium Iesu Christi recipientes, testimonium ipsum in se habent, 1 Ioan. V, 10, et modo supernaturali conuicti sunt de veritate religionis christiana, et de sua in Christo salute sempiterna. Norunt, cui crediderint, et certo persuasi sunt, quod potens sit depositum ipsorum custodire in diem illum extremum. 2 Tim. I, 12. Testimonium Christi confirmatum est in ipsis; 1 Cor. I, 6; quia Pater ipse, qui in caelis est, ipsis reuelauit per Spiritum sanctum, quod caro et sanguis reuelare numquaque potest. Matth. XVI, 16. 17. Obsignati enim sunt Spiritu sancto; et nunc demum ipsis quoque veritates diuinias, quas in se efficaciter sentiunt, obsignare possunt, viribus ad opus hoc arduum peragendum instructi supernaturalibus.

§. LXXIV.

Inscriptum itaque, confirmatum atque obsignum est obsignatio animis credentium Iesu Christi promissionumque euangelicarum testimonium; eidemque et ipsis subscribunt, confirmant illud atque obsignant, quod veritati omni modo sit consentaneum, nec non quod Deus promissa sua sanctissime seruet, quodque tali ratione bona salutaria gustent, ac robur spirituale

in se sentiant, quemadmodum euangelium Iesu Christi perhibet. Testes itaque sunt credentes veritatis, excellentiae, salutis et efficacie τῆς μαρτυρίας Ἰησοῦ Χριστοῦ, profitentes praecipue quauis occasione, Deum esse veracissimum. Ordine ut procedamus iusto, duo hic consideranda veniunt momenta. Alterum indicabit, quid generatim per hancce credentium ob-signationem actiuam intelligatur. Alterum docebit, quid specificatim sit ob-signatio veritatis ac veracitatis diuinae *).

§. LXXV.

generatim confiderata, requirit con-victiōnēm, Obsignant credentes testimonium Christi vario modo. Praecipue vero fit haec ob-signatio; I. quando ea in ipsis ori-tur *conuictio fiducialis*, ut de veritate promissionum euangeli-carum nulli dubitent: diuinitus quippe illuminati, fidem ef-fatis sacrae scripturae habent ex toto animo plenissimam **). Ad quam persuasione firmissimam multum quoque confert experientia spiritualis, ex receptione testimonii diuini ortum trahens, veramque credentium salutem promouens, nec non vires supernaturales ex Christo, capite supremo et unico, membris corporis mystici viuentibus impertitas, luculenter decla-

*) Quando verbum σημειώσεων deo erga nos usurpatum, tunc manifesta est eius significatio: quae hoc loco videtur obscurior esse, quia credentes dicuntur ob-signare, quod Deus verax sit. Et in genere quidem potest sensus esse: qui credit in Christum, is ob-signavit, Deum Messiam, sicut promisit, mississe atque ita veracem esse. CHEMNITIUS in Ioan. III, 33.

**) Fides est cultus Deo gratissimus. Subscritit enim testimonio Dei, et quasi annulo ob-signat veritatem promissionis de Messia. Et nullus cultus Deo grator est, quam laudem veritatis ipsi tri-bueret, cum quidem ostendat, se hoc cultu delectari, ut veritas ipsius per se firmissima, nostra fide, quasi subscriptione ob-signetur. Quam horribile igitur peccatum sit incredulitas et dubitatio, hinc aestimari potest. Detrahit enim Deo laudem veritatis, et facit ipsum mendacem, 1 Ioan. V, 10, qua nulla maior blasphemia esse potest. CHEMNITIUS in b. I.

declarans, vt cum tenuissimo diuinae pacis et spiritualis laetitiae sensu, de peccatorum suorum remissione, de Dei sauro paterno, nec non de futura sua haereditate certissimi reddantur. Quam enim vera fide promissiones Dei in se recipiunt: tunc effunditur aqua vitae super fitientes, aridusque antea credentium animus perfunditur riuis, seu Spiritu sancto, et beneficentia diuina, vt graminum more pullulent, tamquam ad aquam profluentem salices. Effectus inde proficisciens salutaris in eo consilistit, vt unus credentium se Iehouae esse cum παρόντες dicat, alius Iacobi nomen fiducialiter appellet, alius autem manu sua ex πληροφορίᾳ τῆς πίστεως scribat, sum Iehouae, seque Israels nomine nuncupet. Ies. XLIV, 3. 4. 5. Hoc modo illi, qui testimonium Dei in se habent, intelligunt absque dubitatione, quae ipsis largitus sit Deus per verbum et Spiritum suum, cuius in se sentiunt operationes saluberrimas atque efficacissimas. 1 Cor. II, 12 *).

§. LXXVI.

II. Coniuncta est haec diuina coniunctio cum maxima animi tranquillitate; vt nati ex Deo in vulneribus Seruatoris sui conquiescant, tamquam gustantes donum caeleste, per testimoniū Christi ipsis exhibitum, bonumque Dei verbum, in animis eorum confirmatum, nec non virtutes futuri seculi, ipsis firmissime promissas. Hebr. VI, 4. 5. Hoc namque est testimoniū

S 3

monium

*) Sine dubio Baptista hac phrasē naturam seu ingenium verae fidei describere voluit, et sententia ita colligi potest: de quibus non dubitamus, sed certi sumus ita, quod in illis acquiescimus, et illis stare volumus, ea obsignamus; et quae obsignata sunt, in illis facilius et firmius acquiescimus et confidimus. Quando igitur hoc loco verbum obfigurare referimus ad conscientiam credentis, pulcherrima erit descripsio verae fidei, quae promissionem gratiae in verbo agnitam ita in corde amplectitur, vt vera fiducia illam in conscientia quasi obsignet, vt in qua velit acquiscere, quia statuit, Deum veracem esse. CHEMNITIUS l. i.

monium, quod vitam aeternam dedit nobis Deus; et haec vita in Filio eius est. Qui habet Filium, habet vitam: et qui credunt in nomen Filii Dei, illi sciant, quod vitam habent aeternam. 1 Ioan. V, 11. 12. 13. eoll. Ioan. III, 36. Testimonium Christi est simul testimonium vitae. Omnes quippe de Christo, vitae nostrae aeternae fonte, eo tendunt testificationes, ut nos mortui et a Dei communione ob peccata nostra remotissimi, vitam adipiscamur, cum Deo iterum coniuncti atque vniti, et veram et sempiternam. Vita haec nostra est in Filio Dei, et essentialiter, ipsa enim ille est vita, quatenus cum Patre et Spiritu sancto ab omni aeternitate vivit in omnem aeternitatem; et meritorie, cum namque in finem Filium suum vincum misit Deus in mundum, ut nos vivamus per eum, 1 Ioan. IV, 9, mortem quippe aboleuit, et vitam ac immortalitatem in lucem produxit per euangelium; 2 Tim. I, 10; et efficaciter, auctor siquidem est omnis vitae naturalis, spiritualis et aeternae, quoniam huius vniuersi conditor est, princeps quoque vitae, qui nos ad nouam vitam excitat, suisque vitam largitur et τὸ περιστῶν, et quemadmodum ipse e morte in vitam reddit gloriosas, sic suis, morte defunctis, vitam naturalem in glorioſo corpore restituet, quare et seipsum vocat resurrectiōnem et vitam, Ioan. XI, 25. 26, et cum vita naturali, omnis corruptionis experie, dabit aeternam. Ioan. VI, 40. Credentes ergo in Christum, ac testimonium ipsius recipientes, vitam habent, eamque aeternam. Vniti enim cum Christo et in communionem cum ipso recepti, donis fruuntur gratiae, unde pax spiritualis et gaudium in Spiritu sancto oritur; nec non viribus vntuntur supernaturalibus, ut in veritate ambulare queant. Habant et possident has praerogatiwas summas iamiam in regno gratiae, quae ipsius vitae sempiternae in gloriae regno sunt initium: salus namque filiorum Dei, Christo vnicce adhaerentium, amorisque paterni effectus salutares per Spiritum sanctum in se experientium, ita est futura et exspectanda, vt

vt iam nunc revera praesens sit, maiorem licet beatitatis gradum credentes in altero seculo sint adepturi. Eluet inde status Christum accipientium, cum eodemque coniunctorum usque ad mortem, felicissimus, omniisque bonorum spiritualium plenissimus. Quid enim vita aeterna praestantius nominari potest? quidque dignius, quam frui bonis aeternum duraturus ac numquam auferendus? Sed non tantum habent fide praediti vitam aeternam; sciunt quoque, quod habent. Quae scientia non est naturalis et sterilis, sed cognitio ex gratia Spiritus sancti illuminante orta, ideoque salutaris et convictionis ac plerophoriae plena, influxum habens efficacem in voluntatem ad fruitionem bonorum caelestium fiduciam et ad sanctitatem veram et haud fucatam sedulo atque constanter promouendam *).

§. LXXVII.

III. Ita credentes praeparati atque instructi obsignant testimonium Christi in animis suis, conservando dona sibi concredita, tamquam thesaurum praestantissimum, ut iacturam eorumdem nequaquam faciant. Ipsi sunt vasa misericordiae, quae Deus ad gloriam praeparauit, in quaue suam quoque opulentiam declarauit gratiam. Rom. IX, 23. Audiuerunt atque inseceperunt ἡπορύωνται ἡγεμόντας λόγον, qui testimonium Christi continent, quod in se habent, ut λόγον ἐμφύτον. Iac. I, 21. Praestantissimum illud est depositum, quod sigillo suo quasi occludunt, quuum καλὴν παρατάσθην custodiant per Spiritum

conservatio-
nem bono-
rum,

* Non sine graui causa Baptista verbum *obsignare*, quod in articulo iustificationis fere semper Deo tribuitur, de creditibus hoc loco usurpat. Fit enim in iustificatione paclum bonae conscientiae coram Deo, hoc est, ut conscientia certo statuat, Deum nobis propitium esse. Illud paclum Deus ex una parte obsignat sacramentis et Spiritu sancto: fides vero ex altera parte inconscientia paclum illud obsignat, quod scilicet velit in illa vera fiducia acquiescere. CHEMINITIVS ad h. l.

tum sanctum in iſpis habitantem; exemplumque sanorum verborum retineant cum fide et caritate in Christo Iesu. 2 Tim. I, 13. 14. Non defūnt inimici rapaces, qui eos tanto bono priuare conantur, quare teſtimoniuſ ſemel receptum ita obſignant, vt in iſpis maneat, veluti bonum, omni theſauro mundano praefauitius, et quoquis melle terreftri ſuauius. Ps. CXIX. Eodem ſimil, tamquam ſpirituali alimento, ſe oble-
cant, et tamquam gladio ancipiūt vtuntur, vt ſatanam vincant,
prauasque cupiditates, aduersus animam militantes, oppu-
gnent expugnentque. Hebr. IV, 12. 1 Petr. II, 22. 1 Ioan. II,
14. Quando enim ſemen iſtud, omnis corruptionis expers,
in iſpis manet, tunc, tamquam ex Deo geniti, peccare haud
poſſunt. 1 Ioan. III, 9. Permanet autem verbum Dei in iſpis,
ſi fideliter afferuatur, ac ſigillo quaſi contra hostes diligenter
cuſtodiſtur. Luc. VIII, 15. Quare et Christus eos tantummodo
beatos praedicit, qui diuinum ſermonem et audiunt et con-
ſeruant. Luc. XII, 28. Ioan. VIII, 51. Adparet ex hac manſio-
ne et inhabitatione verbi diuini in animis credentium maxima
corumdem eminentia, qua p̄ae incredulis gaudent, quod ex
mandato Dei teſtimoniuſ conſignatum, et doctriña euangeliū
obſignata eſt in iſpis, tamquam diſcipulis Christi; Ief. VIII,
16; reliqui autem ſermonem eius quamuis audiant, non tamen
in ſe habent manentem, quia, quem misit Deus, huic non
credunt, Ioan. V, 38, nec eius in ſe recipiunt teſtimoniuſ.
Ioan. III, 32.

et testifica-
tionem.

IV. Teſtimoniuſ denique, quod credentes in ſe rece-
perunt, habent, ac cuſtodiunt, data quoque occaſione palam pro-
fitentur, et publice declarant, ſe euangeliō Iefu Christi totο
adictos eſſe pectore, veroque eidem animo ſua ſponte ſub-
ſcribere. Teſtimoniuſ itaque acceptum atque in illis obſig-
natum edunt rurſus atque obſignant, tamquam teſtes Iefu
Christi veritatumque caeleſtium, ex facro codice diuinitus ab
ipſis

§. LXXVIII.

ipsis cognitarum. Ioan. XV, 27^{*)}. Tantam in Christo inveniunt excellentiam, tantamque animorum requiem, ut reverentia erga Deum submissa amoreque erga alios sincero impellantur ad intrepide confitendum, quaenam ipsi in viae cum Seruatore suo experti sint bona, ut tali modo gloria summi Numinis illustretur, promoueateturque salus aliorum. Verae haec est fidei ratio, ut animo credatur ad iustitiam, et confessio fiat ore ad salutem. Rom. X, 10. Est quoque signum certum communionis nostrae cum Deo, quando confessio ex fide per caritatem editur. Quisquis enim Iesum Christum Dei esse Filium, profitetur, et in eo Deus est, et is in Deo manet. ¹ Ioan. IV, 15. Diuinam in se sentiunt credentes euangelii potentiam, quam ob causam illius non pudet eos; Rom. I, 16; sed ut genus lectum, regale sacerdotium, sancta gens, populusque adquisitus, virtutes potius praedicant Dei benignissimi, qui eos ex tenebris in suam lucem vocavit mirabilem. ¹ Petr. II, 9. Sancto eodem fiduciae Spiritu praediti sunt, ut fert scriptum illud Ps. CXVI, 10; credidi, i. e. testimonium de Iesu Christo in me recepi, ideoque locutus sum: illi quoque, qui Spiritu obsignati sunt, credunt, ideoque loquuntur, quaeque in intimo pectore diuinata sentiunt, magna animi hilariitate profitentur palam. ² Cor. IV, 13. Quid? quod testificationem de Iesu Christo omittere plane nequeunt, ut potius quauis occasione ad edendum de eo testimonium maximopere impellantur, quoniam summus iudex die iudicii extremi eos tantummodo suos professurus, aeternaque gloriae participes

^{*)} Confirmatur tabula contractus in domo iudicii. Subsignant testes in praefentibus, veniuntque testes subsignati in conspectu illorum, et dicit eorum unusquisque: haec est scriptura manus meae, et ego sum testis in hac causa. Talem contractus tabulam iudices ratam habebant, eamque confirmabant. MAIMONIDES apud VITRINGAM l. c. Conf. LAMPIVS ad b. h.

pes facturus est, qui ipsum in hoc mundo professi sunt. Claris enim optimus Seruator edisserit verbis: Quisquis me agnoverit apud homines, eum ego quoque agnoscam apud Patrem meum; qui in caelis est. Qui vero me negauerit apud homines, eum ego quoque negabo apud Patrem meum, qui in caelis est. Matth. X, 32. 33.

§. LXXIX.

*Quae sit
agendo per
cultum im-
mediatum
diuinum,*

Confessionem autem testes Iesu Christi edunt et *agendo* et *patiendo*. Omnes eorum *actiones* et internae et externae sunt cultus diuinus, ad glorificationem summi Numinis vnicte tendens. Praefant hunc cultum tam immediate, quam mediaete. *Immediate* Deum et Seruatorem Iesum Christum colunt, quando praecepta tabulae decalogi diuini prioris omni animo studioque seruant, iisque sedulo obtemperant. Tunc enim declarant publice, seruos se Dei esse veros, ad nutum ipsius paratissimos. Lux eorum, in animis per Spiritum sanctum accensa, apud homines lucet, ut recte ab ipsis facta videntes alii collaudent Patrem eorum, qui in caelis est. Matth. V, 16. Ita credentes animati omne consortium malorum prauum penitus fugiunt, ut lucis sese gerentes filii, et approbantes, quae sunt accepta Deo; tantumque abeunt, ut infrauctuosa tenebrarum opera participant, ut ea potius arguant. Eph. V, 10. 11. Cuncta faciunt absque murmurationibus, prauisque cogitationibus, ut irreprehensi integrisque sint, inculpati Dei filii, in medio praui peruersique generis hominum, quos inter micant tamquam in mundo luminaria. Phil II, 14. 15. Minime ergo infidelium socii sunt iungiles: nullum enim iustitiae cum improbitate consortium, nulla luci communitas cum tenebris, nulla Christo cum beliale concordia, nullum credenti cum incredulo commercium, nulla Dei templo cum deastris est conuenientia. Credentes viuentis Dei templum sunt, quemadmodum Deus dixit: habitabo ac versabor apud eos, eroque eorum Deus, et ipsi mihi populus erunt. Quapropter exite

exite ex medio eorum, ac separamini; inquit Dominus, ne-
ve impurum tangite, et ego vos accipiam, vobisque Pater ero, et
vos mihi eritis filii ac filiae, inquit Dominus omnipotens. 2 Cor.
VI, 14-18. Pertinent huc praeципue, quod testes Iesu Christi,
veritatibus diuinis constantissime addicti, earumque vere a-
mantes, minime sint blandi erga eos, qui a recto tramite,
quem verbum praescribit diuinum, pertinaciter ac morose
aberrant, quique pestiferis opinionibus contaminati et corru-
pti sunt. Tantum enim abest, vt blanditiis et assentationibus
gratiam eorum colligant, vt potius veritates agnitas contra
eorum oppugnationes strenue atque animose defendant, er-
rantes in rectam reducere viam allaborent, versantes autem
in errore malitiose circa articulos fundamentales omni opere
euitent, omneque cum ipsis commercium in rebus potissimum
ad cultum diuinum spectantibus sedulo declinent. 1 Cor. X,
21. Tit. III, 10. II. 1 Ioan. IV, 1. 2 Ioan. V, 10. 2 Tim. II, 21.

§. LXXX.

Mediate confessores Christi rebus operam dant diuinis, et mediatum,
quaequaque, tamquam Spiritu obsignati, in animo gerunt, pa-
lam significant; quando officiis erga femetiplos atque alios ita
funguntur, vt sibimet ipsis renunciantes, honorem Dei pro-
moucant, aliorumque salutem ardentissime quaerant. Non
verbis tantum amorem suum aliis declarant, sed re ipsa poti-
us quis occasione ostendunt, se iustitiae studiosissimos esse,
amorisque Spiritu ita agi, vt nihil magis habeant in votis,
quam animum suum beneficium in aliorum commodum nullo
non tempore ipso opere quam lubentissime declarare. Faci-
unt hoc propter Deum, in cuius conspicuū semper ambulant,
enique omni sanctitate iustitiaque inferiunt omnibus vitae di-
ebus. Quemadmodum igitur tali modo se se erga Deum atque
homines gerunt, vt optime sibi conscient sint: ita officiorum
suum numquam immemores, coram omnibus, quibus in-

T 2

no-

notescunt, testificantur, quantum diſcrimen fit inter teſtem Iefu Christi, veritates diuinæ per totam vitam ipſo opere obſignantem, et inter hypocritam, pietatis et religionis ſimulatorem, teſtimonium Iefu Christi in ſe non habentem, ideoque omnis euangeli lucis atque efficacie expertem, aliud nempe in peccatore gerentem clauſum, aliud vero promtum in lingua. Cogitationes, ſenſationes, propenſiones, actiones quoque et internae et externae in confessoribus Christi optime conuenient et mirifice conſpirant ad laudem Dei altissimi et aliorum hominum promouendam falutem et veram et aeternam. Christi enim diuina potentia, cuius acceperunt teſtimonium, omnia iſpis ad vitam et pietatem collata ſunt, per eius cognitionem, qui eos ſua gloria et virtute vocavit. Ipſe Seruator eos eximiis maximisque donauit promiſſis, vt per ea diuinae participes facti ſint naturae, et munidanam cupiditatis corruptelam effugiant. Quare in hoc omni studio incumbunt, adquirentes in fide ſua virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia temperantiam, in temperantia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternali amorem, in amore fraternali caritatem. Haec quum in iſpis inſint, atque abundent, non otiosos eos aut inertes efficiunt ad Domini ſui Iefu Christi cognitionem: ornant potius doctrinam Iefu Christi, cui vera adhaerent fide, coniunctionemque internam per sanctam produnt vitam. Cui vero ea, quae indicaui, non adſunt, caecus eſt, nec in falutem ſuam agnoscit teſtimonium de Iefu Christo, mundi Seruatore. 2 Petr. I, 4. seqq.

§. LXXXI.

nee non pa-
tiendo.

Non vita tantum, legi diuinæ conformi, credentes teſtimonium de Iefu Christo obſignant; ſed etiam paſſionibus et calamitaribus, quae iſpis, Christum imitantibus, nomenque eius actionibus sanctis profitentibus, obueniunt. Qui cumque

cumque enim non fert calamitatem suam, et Christum sequitur, is Christo non est dignus. Matth. X, 38. c. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 23. Maxima vero molestia omnino est, quando cruciatus durissimos perferre coguntur testes Christi, et pro Seruatore suo extrema pati supplicia. Non omnes quidem Christo vere addicti ad martyrium vocantur cruentum, omnes tamen, quando vocantur, praefato sunt, pro veritate caelesti mortem oppetere et tormentis potius excruciarum summis, quam Iesum doctrinamque divinam abnegare. Matth. X, 28. 38-39. Ps. LXIII, 3. Act. XXI, 13. 2 Tim. i, 8. c. IV, 5. 6. 1 Petr. II, 19. 1 Cor. XIII, 2. Rom. V, 3. c. VIII, 18. Per martyrium credentes obsignant, 1) se de veritate religionis christianae plane *convictos esse*, ac lubentius mori et sanguine suo doctrinam caelestem confirmare, quam eamdem, ex illuminatione Spiritus sancti agitant, rursus abdicare velle; 2) se maiore ac vehementiore Iesum suum prosequi *amore*, quam vitam ipsam naturalem, quia in Christo vita fruuntur sempiterna in omnemque duratura aeternitatem; 3) se *veros Dei seruos atque Christi imitatores esse*, quumque Christus vitam suam pro ipsis posuerit, se nullos dubitare, propter Christum mortem subire cruentam, eique fideles ad mortem usque esse. Apoc. II, 10; 4) se denique per mortem omnesque cruciatus *nomen Iesu Christi celebrare*, certissimeque persuasos esse, se a Seruatore suo absque omni dubitatione in summam recipi gloriam, participesque post hanc vitam aerumnosissimam fieri aeterni gaudii caelestis. Censent itaque, ea, que hoc tempore patientia sunt, nequamque esse paria gloriae, qua sunt adficiendi. Rom. VIII, 18. Breuis enim leuisque eorum calamitas, incredibile dictu, quam sempiternam, quamque grauem ipsis gloriam pariat, non spectantibus ea, quea cernuntur, sed quea non cernantur. Nam quea cernuntur, temporaria sunt;

quae vero non cernuntur, sempiterna. 2 Cor. IV, 17.18. Il-
lis enim, qui praeclarum certant certamen, cursum ab-
solvunt, fidemque ipsos inter cruciatu[m] mortiferos seruant,
iustus iudex coronam iustitiae, quam ipsis referuauit, red-
det benignissime die illa, qua se Dominum beneficen-
tissimum suorum manifestabit, 2 Tim. IV, 8, et hoc mo-
do, qui simul cum Christo, et ob confessionem diuini no-
minis, patiuntur, cum Christo simul fient gloriofi. Rom.
VIII, 17 *).

§. LXXXII.

*Obesignatio
actua specia-
tum confide-
rata.*

Considerauimus hucusque, quomodo credentes veritates
diuinas generatim obsignent: nunc demum vltimo loco brie-
viter addendum est, *quid speciatim sit obsignatio veri ac ve-
racis Dei*. Iohannes enim expressis dicit verbis, quod reci-
pientes testimonium Christi obsignent, quod Deus verax sit,
οὐδὲ οὐδεὶς αλλογενὴς εἴσιν.

§. LXXXIII.

* Incredibile dictu[m] est, quam libere, apposite, copiose, constanter,
coram principibus, regibus, imperatoribus, callidisque sophistis,
religionis christiana[re] veritatem adseruerint, viri, mulieres, senes,
iuuenes, pueri etiam immuptaque pueræ; quam animose pro
eadem dirissimas mortes subierint, sub virgis, sub gladio, in ro-
tac ac trochleis, in mediis flammis, in crateribus cendentibus,
abscissa etiam nonnumquam lingua, quo illustrius foret miracu-
lum, Christum confitentes laudantesque. Non omnes Christiani
ad martyrium vocantur, omnes tamen, quando vocantur,
praesto esse debent. Aliud est animo deesse martyrum, quod
plurimi Christiani contингit; aliud est animum deesse martyrio,
quod nulli Christiano decorum est. Omnes obligat dictam Do-
mini Apoc. II, 10: item Luc. XIV, 23. Sciendum tamen, quod,
iuxta gratiosam Numinis aestimationem, semper Deo mancipata
deutio in dicatis hominibus pro martyrio deputetur, vii PON-
TIANVS loquitur in vita Cypriani. Vid. HERMANNVS WIT-
SIVS in exercit. sacr. in Symb. Apost. Exerc. XI, §. XXIX. p. m.
169, seq.

§. LXXXIII.

Deus est *verus* in seme*ipso* et extra se erga res crea- Deus est ve-
tas. Datur itaque in Deo veritas et interna et externa. Ve-
rus est Deus *ναός εστιν*, quatenus est summum ens, omnia-
que possidet, quae enti perfectissimo necessario inesse de-
bent: qua notione a fictis et fallis ethnicorum diis distin-
guitur. Ier. X, 10 *). 1 Thess. I, 9. Est quoque exemplar
omnium rerum verarum, ideoque prima veritas, quoniam
cognitio in Deo non tantum cum rebus ipsis perfecte con-
venit, sed etiam res eatenus atque eo sensu verae dicun-
tur, quatenus cum archetypo in mente diuina consentiunt,
et ad veram illam in intellectu diuino ideam sunt confor-
matae. Pf. XXV, 5. XXVI, 3. XL, II. Deus quoque *ναός εστιν*
verus est tam in operibus, quam in verbis. Praefat le ver-
rum, quem in actionibus eius nihil sit fūcati; vera pro-
duxit entia, vera exercet iudicia, veram praefat liberatio-
nem, vera per Christum facta est redemptio, vera edidit per
Christum et seruos suos miracula, cet. Verus quoque est
in promittendo, verus in praedicendo, verus in commi-
nando, verus in consolando. Deut. XXXII, 4. Apoc. XV,
3. c. XVI, 7. Ioan. XVII, 17. 2 Sam. VII, 28. Num.
XXIII, 19. Hebr. VI, 18.

§. LXXXIV.

Veritas diuina, quae in verbis se se exferit, alias au- et verax.
dit *veracitas*, quae certissima est conuenientia sermonum
diuinorum cum intellectu ac voluntate Dei perfectissimi.

Hanc

* Optime b. LUTHERVS verba Ier. X, 10. **הָ הוּא אֱלֹהֵינוּ מֶתֶם** verit: der Herr ist ein rechter Gott, i. e. omnes
Domino competunt perfectiones, quae enti summo conueni-
re debent. Id quod de diis seu idolis gentilium minime dici
potest. Conf. ABRAHAMI CALOVII Synt. Loc. Theol. Part. II.
Cap. VI. p. 3ii.

Hanc Deus manifestam praecipue reddidit in Filio suo, quem mundi redemptorem constituit ab omni aeternitate, in veteri testamento pollicitus est, statuto tempore in hunc mundum misit, per quem homines perditos redemit, in quo denique omnia bona salutaria cunctis hominibus offert, et credentibus vere donat. Haec subest causa, quare Christus, Mediator noster, non solum ἡ ἀληθεία adpelletur; Ioan. XIV, 6; sed etiam πλήρης ἀληθεία describatur, Ioan. I, 14, immo ἀληθεία per ipsum facta dicatur, Ioan. I, 17, et in ipso ἀληθείᾳ esse adfirmetur. Eph. IV, 21. Omnes enim Dei promissiones in Christo sunt τὸν νοῦ τὸν αὐτὸν. 2 Cor. I, 20: i. e. praefat Deus certissime, quae in Christo generi humano promisit. Rom. III, 4. Ps. XXXIII, 3. LXXXIX, 3. CXLVI, 6*).

§. LXXXV.

Fundamen-
tum obsigna-
tionis Dei
veri est fides. Hancce veritatem ac veracitatem Dei credentes obsignatione dicuntur. Priusquam vero de hac obsignatione mentem nostram explicemus, ante omnia *fundamentum* eiusmodi actionis egregiae ac plane singularis considerandum venit. Superstruitur vero in ipso loco Ioanneo obsignatio testimoniū Iesu Christi receptioni. Quicumque enim testimonium Iesu Christi accipit, is demum obsignat, quod Deus sit ἀληθής. Absque receptione testimoniū ergo nulla datur veritatis et veracitatis diuinæ obsignatio. Testimonium autem recipere nihil aliud est, quam vere credere. Fides itaque et obsignatio indiuiduo cohaerent nexu. Fides est fons et

*) Deus est veritas sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria. **FVLGENT.** L. I. ad Monim. In promissis Dei nulla falsitas, quia nulla in praefando difficultas. **PROSPER** in *Sentent.* Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipse, nec proprium externis viribus implet opus. **PHILO.** Conf. **IOANNIS GERHARDI** Loc. *Comm. Theol. Tom. I. p. m. 324.*

et causa; obsignatio vero effectus, certissime ex fide emanans. Quare Ioannes I ep. V, 10, claris adserit verbis: Qui Deo non credit, mendacem facit eum, quod testimonio fidem non habet, quod dixit Deus de Filio suo. Ob absentiam fidei improbus nullus idoneus veritatis diuinae testis esse potest, quin immo ex animo sceptico circa testimonium de Christo, a Deo veracissimo prolatum, fluctuat, illudque in dubium vocare, tandem id aperte, salem affectu suo serio negare, et ita Deum, ab omni mendaci longissime remotum, *ψευδομαρτυριας* arguere conatur.

§. LXXXVI.

Vt autem clarius constet, quid fides ad obsignandam Credentes te-
Dei adferat veritatem, omni attentione ponderandae sunt locu-
tiones biblicae, que nos docent, quod is, qui Dei Filio
fidem habet, in se Dei testimonium habeat, quodque, qui
Filium habet, vitam habeat aeternam. I Ioan. V, 10. 12. Ha-
bent credentes testimonium Dei in semetipsis, dum modo su-
pernaturali de veritate religionis christiana conuicti sunt.
Quae diuina plerophoria cum diuina conuictione de sua
ipsorum salute arctissime coniuncta est. Quare et vita aeterna
in hoc seculo iamiam frui dicuntur, quoniam in Christi pos-
sessione ac communione praegustum futurae gloriae sentiunt;
et honorum participes facti sunt caelestium, numquam aufe-
rendorum, sed aeternum potius duraturorum. Quum vero ita
fesse res habeat, nonne certum, firmum et constans de eo,
quod habent, quod sentiunt, quod gustant, perhibere possunt
testimonium credentes? Sane, quod audiuerunt, quod vide-
runt oculis mentis, a Spiritu sancto illuminatis, et fidei ve-
rae manibus tetigerunt, immo acceperunt, et in animis suis
possident, id et aliis, tamquam testes, omni exceptione ma-
iores, certo certius advunciare possunt. I Ioan. I, 1. 2.

§. LXXXVII.

Accedit denique ad fundamentum obsignationis veritatis mente noua
et veritatis Dei rite constituendum, quod Ioannes I ep. V, ^{praediti sunt,}
^{cognoscunt}

verum et
 sunt in vero; 20, de ſemetipſo atque omnibus fidelibus proutincief: Sci-
 mus, Dei Filium veniffe, et nos eo ingenio donaſſe, vt ve-
 rum cognoscamus Deum: et ſumus in vero, in eius Filio, Iesu
 Christo. Is verus eſt Deus, aeternaque vita. Tria hic occur-
 runt momenta, quae ad fundamentum obſignationis veri Dei
 commode referri poſſunt. I. Christus, veniens in hunc mun-
 dum, dedit credentibus in nomen ipſius, *diávouac.* Ex Deo
 enim geniti nouam acceperunt *indolem*, diuinisque viribus in-
 ſtructi ſunt atque exornati, vt intellectum habeant illuminatum,
 et voluntatem ad Dei paecepta feruanda aptiſſimam paratiſſi-
 mainque. Vera non ſolum fide adprehendunt Iesum Chri-
 ſtum, et in unionem et communionem cum ipſo tranſeunt,
 bonaque euangelii ſibi adplicant atque iisdem in veram ſuam
 fruuntur ſalutem; ſed dotibus etiam gratiae diuinae inhabitan-
 tis donati diuinisque charismatis vñcti, in omnibus ſuis actio-
 nibus per totam vitam luculenter demonstrant, legem Dei in-
 ſcriptam eſſe iſporum mentibus; adeoque et animis et verbis
 et factis teſtificantur, ſe non amplius eſſe ἐν τῷ πονηρῷ, ſed,
 tamquam ex Deo natos, diuinaque naturae participes, non
 prauis propenſionibus atque inordinatis cupiditatibus ampli-
 us infuiri, ſed collatis viribus ita vti spiritualibus, vt ſe-
 metipſos obferuent, omanque curam ac fidelitatem adhibe-
 ant in paeſtandis ſingulis christianimi officiis, ne a diabolo,
 nec a peccato reſiduo, nec ab improbi hominibus a recto ab-
 ducantur tramite, in verbo Dei paeſcripto, neque in trans-
 verſum agantur; quod omnino nouae indoli ac qualitatii,
 quam ex regeneratione et renouatione habent, minime con-
 veniret. II. Cognoleunt credentes τὸν ἀληθινὸν, et ex agnitione
 τὸν ἀληθινὸν fequuntur confeffio atque obſignatio eiusdem. Op-
 ponitur ἡ ἀληθινὸς τῷ πονηρῷ v. 19, et τοῖς ἐιδώλοις v. 21. Dia-
 bolus omnis mendacij et labis pater eſt: Ioan. VIII, 44: De-
 us autem fons et ſeatirgo omnis veritatis, sanctitatis et felici-
 citatis. Idola ſunt dii fictitii, inanem paeſe ferentes speci-
 em

em religiose colendam, sine veritate ; ipsis enim non inest, quod summo Numini adorando inesse debet : Deus autem est verus ac veracissimus, immo ipsa veritas, ipsi quoniam omnes conueniunt perfectiones et internae et externae, quae enti summo necessario conuenire debent. Hunc ἀληθῶν credentes agnoscent. Mentem ad cognoscendum a Christo accep-
perunt, in quo Deus verus esse non solum manifestauit, et perfectiones suas summas nobis reuelauit, sed per quem etiam aditus ad Deum nobis apertus est, ut fide salutari Deum no-
strum adprehendamus, amore eiusdem in Mediatore suauissi-
mo fruamur et ex Spiritu Christi impulsu ad Dei nutum sedulo
ambulemus. Intelligitur itaque cognitio Dei veri, quae ex
redemptione Christi, in hunc mundum ad salutem nostram missa,
et exunctione Spiritus sancti, 1 Ioan. II, 20, profluit, quae-
que in regenerationis et renouationis ordine obtinetur, et
voluntatem ad quotidianum virtutis studium mouet ac trahit,
ut et agnoscentes Deum verum veritati et sinceritati omni ad-
dicti sint animo, eiusdemque studiofissimi. III. Sunt denique
credentes ἐν τῷ ἀληθῶν, qui est Filius τοῦ ἀληθῆ, et simul cum
Patre verus Deus et vita aeterna. Iesus Christus, cuius testimo-
nium fideles accepérunt, eosdem in suam recepit uisionem, ut
in eo, tamquam centro et elemento suo, uisce requiescant,
bona cœlestia possideant, et in ipso ad mortem usque perse-
verent. Deum Θεούς γανού se suis praebet verum, ut, quae a
summo bono exspectare possunt salutaria, re ipsa habeant,
quibus satiari potest desiderium eorumdem infinitum. Vitam
ipsis adquisuit spiritualem et aeternam ; habent per fidem
vitam in ipso, quin immo ipse est eorum vita et quidem aeterna,
ex quo falsus omnis generis et in hoc et in futuro se-
culo oritur, in cuius communione vere sunt beati, cuius-
que robore sustulti diuino ad gloriae regnum constanter ten-
dunt, omnia impedimenta remouent, et ab hostibus suis
victoriam semper reportant ; cuius denique gratia haere-
des

des Dei post hanc vitam sine dubio euadent, gaudiique semipaterni coram throno Dei compotes reddentur.

§. LXXXVIII.

Sunt itaque
testes ſcien-
tes.

Haec ſunt potiſſimum momenta, quae obſignantes Dei veritatem et veracitatem optimè ſciunt, quaeque fundamen- tum conſtituunt testificationis de Deo vero. Sciunt, ſe diaevoꝝ, noua indole, a Deo donatos eſſe; ſciunt, ſe Deum ſalutariter agnoscere, et quidem praecepue, quatenus eſt ἐ ἀληθινός; ſciunt quoque, ſe in Iesu Christo, Θεῷ ἀληθινῷ καὶ ζωῇ αἰώνιῳ, vere eſſe. Sciunt autem haec omnia ex gratia Spiritus Christi illuminante, regenerante et renouante. Sciunt ex experientia ſpirituali, operations ſupernaturales motusque sanctos in ſe ſentientes. Sciunt cum adſectu et effectu, tranquillitate animi gaudentes, fructusque fidei ferentes. Sciunt quoque cum plerophoria et interna animi conuictione. Nunc tandem obſignare et confiteri queunt, Deum eſſe verum atque veracem. Quod enim ſciunt, loquuntur, et quod viderunt atque experti ſunt, teſtantur. Ioan. III, II *).

§. LXXXIX.

* "Οσοι λόγες πνευματικὲς γενέσεος τε καὶ πελέκες ἔκπος φθέγγονται, τέτες ἐπινέαν Φριμὶ ἀνθεώπῳ θέρεσ αὖτε μετημβίεις ἀκριβέσις ἰσαμένης πεδίον ἐρημού τι καὶ σύνδορον διειστεῖ ἐπειδὴν ὑπὸ τοῦ πολλῆς καὶ φλογώδες τῆς δύψης κατὰ νέῳ αὐτῶν ὑπογεάφορτι πηγή τινα ψυχράν ἔγρυψ ὅπου γλυκύ τε καὶ διεῖδες ὑδρὸς ἔχουσαν, καὶ αὐτοῖς εὐθέοις ἐργοντος ἀπολαμβούσται κατὰ κάρον ἢ ἀνθρώπῳ μέλιτος μὲν εὐθὲς βραχὺ γεννομένῳ, ἔτεροι δὲ ὅπως ἔχει γλυκύτητος πειραματικὸν διασταθμὸν τοιότοις γάρ ἀληθῶς, οσοι μὴ ἔργῳ καὶ πληροφορίᾳ τῇ ἑαυτῶν τὰ περὶ τελειότητος τε καὶ ἀγάπησμά, καὶ ἀπαθειας παραλαβόντες ἔτέροις ἐπογείσθαι βέλονται καὶ γαρ εἰ δόν Θεὸς μικράν τινα τῶν πορῶν ἀντῶν λεγομένων λαβεῖν αἱσθησιν, ἐποντας πάντως, ὅτι μὴ κατὰ τὴν ἐκένον εἰσήγυπτον, ἀλλὰ πολλὰ διαφέροντι τὰ τῆς ἀληθειας ἔρχε καὶ τῶν παρεγμέστων. Quicunque de spirituali doctri- na ſint gaudiū, et experientia diſputant; eos aio ego effo- similes

§. LXXXIX.

Duplici autem respectu credentes testimonium edunt, Obsignatio
ēti δ Θεός ἀληθής ἐστιν. Obsignant nimurum et confitentur,
1) Deum esse verum, 2) Deum esse veracem. Vtrumque enim
significatum vox ἀληθῆς facile admittit *).

§. XC.

I. Confirmant Dei veritatem, 1) quum testimonium Iesu Christi
sunt recipientes in lumine diuino agnoscunt, decretum Dei de missione
Filiū in mundum atque eiusdem executionem per Sponsorem
consummatum conuenire cum essentia atque attributis Dei altissimi
mi ac omnī sufficientissimi, Deumque in Redemptore nostro se mani-
festasse tamquam vere infinitum, vere sanctum, vere iustum, vere
sapientem, vere benignum, vere φιλανθρωπον, Omnesque in eo
deprehendi perfectiones vere summas, quae Iehouae seu enti-
tētum inesse debent, nec non in eo, tamquam vere summo
bono,

Quomodo
veritas Dei
obligatur?
1) Deus in se-
ipso verus
est.

similes homini, per aequalē, meridie calidissimo existente, per
campum desertum aridumque transiunti, atque in scī, qua multa
et flagrantissima torquerunt, animo sibi fontem fūgenti gelidum
proxime fluentem, aquam dulcem et crystallinam habentem, et ea
se ad satietatem virque, nullo prohibente, prohi. Autem homini,
qui, quam mel omnino ruriquam gustarit, tamen alii declarare
conatur, quanta sit eius suauitas. Tales profectio sunt, quicun-
que re ipsa et intimo in seipsis experimento eorum, quae ad perfec-
tionem, sanctificationem, et perturbationum abolitionem pertinent,
non ante praeparati, alios de his docere differendo volunt. Ex-
enim, si dederit his Deus, ut vel exiguum aliquem horum, quae
inexperti praedicant, sensum percipient, ruru demum clave intel-
ligent, veritates et ipsas res non secundum eorum expositionem,
sed multo altera se habere. Ita MACARIUS optime de funda-
mento testificationis loquitur, experientiamque ad hoc opus ar-
duum requirit spiritualem in Libro de Eleuatione Memis, Cap.
XIX, p. m. 131.

*) Vid. CHRISTIANI STOCKII Clavis Linguae sanctae N. T.
p. m. 71. seqq.

bono, quatenus se in Christo peccatoribus in salutem corumdem reuelauit, salutem nostram vnicet vere inueniri. Hoc modo verus Deus a diis falsis discernitur, qui animum nostrum, ob varia mala, ex peccatis in nos redundantia, inquietum, anxium et perturbatum, minime tranquillum et sedatum reddere possunt, 2 Chron. XV, 3. Ierem. X, 10. 14. 1 Thess. I, 9. 1 Ioan. V, 20. 21. In Christo tantum, qui ἀληθεία est, et per quem ἀληθεία facta est, Ioan. XIV, 6. c. I, 18, Deum agnoscimus ἀληθινὸν, talisque cognitio vita est aeterna, mediumque vnicum ad vitam aeternam perueniendi. Ioan. XVII, 3. Admirantur hanc ob cauſam fide in Christum praediti τὸ βασιλεῖον πλέτε καὶ τοφίας καὶ γνάτων Θεός, quod in redēmptione, per Christum facta, reperitur, Rom. XI, 33, nec non celebrant nomen ipsius altissimum. Ita enim in Christo Deum suum experintur, vt in vniōne ac communione cum eo, tamquam ente vere infinito, desiderium animi immortalis infinitum vere fatietur ac tranquilletur. Ps. LXIII, 2. 3.

§. XC1.

2) est archetypum omnium rerum verarum.

2) Intuentur porro Deum in Christo tamquam *primam, summam ac maximam veritatem*, immo tamquam *archetypum immutabile atque exemplar rerum verarum omnium*, quae sunt extra ipsum. Namque omnis rerum veritas fuit in intellectu diuino ab aeterno, quae non a rebus ipsis in Deo producita, sed ipsa est rerum caufa, et ab ea pendent omnes aliae veritates, ipsaque est norma omnis veritatis. Hinc credentes veritatis manifestationem a Deo, qui ipse summa veritas, fonsque et origo veritatis cunctae est, sibi expetunt, Davidis exemplum imitantes, tali modo summum precantis Numinen: mitte lucem tuam et veritatem tuam; ipse ducant me! Ps. XLIII, 3. Sciunt quoque vera in Christum fide praediti, veritatem Dei hominum infidelitate non impediri, hominum perfidia non cuerti, nec hominum mendacio destrui: quare ex intima animi persuasione cum Paulo obſignant, infidorum infide-

infidelitatem Domini fidem seu veritatem non reddere inanem, Rom. III, 3. 4. fidumque Deum manere, ac seipsum negare non posse, si etiam nos infidi simus. 2 Tim. II, 13. Et quemadmodum Christus dixit, verum esse Deum, qui illum misericordia mundum, quemque Iudei non agnoscerent: Ioan. VII, 28. 29: ita de veritate diuina credentes diuinitus conuicti cum animi πληροφορίᾳ benigitates Ichouae in aeternum canunt, in omnes generationes notam faciunt veritatem diuinam ore suo: statuunt namque firmissime, fore, ut in aeternum benignitas Dei aedificetur, Deusque in caelis ipsis stabilitat veritatem suam. Pf. LXXXIX, 2. 3. Quare Deo eiusque imperio semet vnicce committunt, Pf. XXXIII, 6, omnemque in eo spem suam collocant, certissime persuasi, Deum secundum veritatem suam ita ipsos propter Christum absque omni dubio daturum, rectorum ac gubernaturum esse, quemadmodum ab aeterno decreuerit, et glorificatio nominis sui requirat, nec non salus ipsorum vera atque aeterna promoueri possit. 1 Cor. I, 8. 9. c. X, 13. In silentio et spe exspectant quoque in omnibus aduersis auxilium Domini sui, cuius in libro ab omni aeternitate totius vitae ipsorum curriculum scriptum est, Pf. CXXXIX, 16, nec non experientia sua quotidiana confirmant, beatum esse, cui auxilio est Deus Iacobi, cuius exspectatio est in Iehoua, Deo suo; qui fecit caelos et terram, mare, et quidquid est in eis, quique seruat veritatem et fidem in aeternum. Pf. CXLVI, 5. 6. Conf. Pf. LXXXIX, 34. 35.

§. XCII.

3) Supernaturali efficacia edociti testantur denique de veritate Dei credentes in Christum, *tum opera diuina essentialia* verus in operibus interna, *tum opera diuina personalia esse verissima*. Opera Dei essentialia sunt *decreta diuina*. Ea quidem sunt ἀνεξεγένητα, libus et per inscrutabilia, Rom. XI, 33: Iesus Christus autem, vnigenitus ille Dei Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis ea exposuit, quantum quidem eorum cognitio ad salutem nostram spectat.

Ioan.

Ioan. I, 18. Recipientes ergo testimonium Christi, veritatem decretorum Dei, quae ab omni aeternitate in commodum hominum perditorum in Deo fuerunt, submisso animo considerant, exsequutionem eorumdem in Christo pie animaduent, Deumque, qui solus habet immortalitatem, lucemque inhabitat inaccessam, quem vidit nemo hominum, neque videre potest, ex intimo animi affectu celebrant ac glorificant, quod in Christo nobis sepe dederit manifestum. 1 Tim. VI, 16. Vera esse Dei decreta, Deumque veritatem esse in se ipso, confitentur. Sed quum maximam partem consilia ac decreta diuina infinita incognita maneat, nec ab intellectu finito penitus introspici possint: acquiescent fideles in effatis per Christum eiusque Spiritum reuelatis, maioremque eorumdem cognitionem exspectant in futuro seculo; veram, sanctamque, ac iustam eorum exsequutionem, eorumque effectus inculpatos omnisque labis expertes declarantes. Quapropter cum Mose exclamat, nomen Ichouae praedicantes ac magnitudinem suminam Deo tribuentes: Opus Dei est perfectum, omnes enim vias illius sunt iusti; Deus fortis verus ac fidelis, et expers iniquitatis, iustus et rectus est. Deuter. XXXII, 3. 4. Opera diuina personalia nobis quidem sunt incomprehensa, corumque inelegatio plenaria ab ente finito exspectari non potest: attamen ex economia gratiae diuina lux accenditur credentibus clarior, viaque ipsis panditur, ut summa animi veneratione Deum triunum adorent, certioresque reddantur, Patrem vere genuisse Filium, Filium vere natum esse ex Patre, ac Spiritum sanctum per aeternam spirationem procedere atque spirari a Patre et Filio. Collaudant ac celebrant Deum trium, cum Seraphim clamantes: sanctus est Pater, sanctus est Filius, sanctus est Spiritus

ritus sanctus, Iehoua exercitum; nec non optantes, ut tota terra impleatur gloria Dei triunus. Ies. VI, 3.

§. XCIII.

II. Obsignant etiam credentes veracitatem Dei, quam extra se erga omnes res creatas, et praecipue erga homines demonstrat in operibus externis atque in verbis suis. Opera Dei externa partim ad regnum naturae, partim ad regnum gratiae, partim ad regnum gloriae spectant. Omnia Dei opera vera sunt, vereque Deus exsequitur, quidquid et quomodo decreuit. Credentes nihil fucati, nihil simulati, nihil ficti in iis animaduertunt. Quare obsignando veracitatem Dei constentur: Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine, Deus omnipotens; iustae et verae sunt viae tuae, rex sanctorum; vera sunt et iusta iudicia tua. Apoc. XV, 3. c. XVI, 7. Quumque veritas diuina vbiique conspicua sit contemplantibus opera summi Numinis: credentes, Deum in Christo tamquam Patrem suum indulgentissimum, ac Dominum suum gloriosissimum venerantes, in omnibus rebus creatis vestigia gloriae eiusdem deprehendunt manifestissima, indiciaque certissima, manifestantia summam veritatem ac veracitatem diuinam. Celebrant enim caeli mirabile opus Iehouae, ac veracitatem eiusdem in congregacione sanctorum: in caelis est benignitas Iehouae, et veracitas eius usque ad superiores nubes; immo veracitas Deum quasi circumuersit, i. e. vndeque Deus exornatur veritate, et vbiique adparent documenta fidei et veritatis ipsius. Pf. LXXXIX, 6. XXXVI, 6. LXXXIX, 9. Quam ob causam Deum salutariter agnoscentes non possunt non ex Spiritu sancti impulsu nomen eius εὐαγγελία adorare, oreque et vita sancta idem celebrare, atque in eius gloriam confiteri, opera manuum eius esse veritatis, Pf. CXI, 7, nihil falli, nihil vani in iisdem reperi, ac re vera id esse, quod videntur esse, adeoque omni modo distinguenda ab operibus dia-

boli, eique addicitorum, qui signa et prodigia mendacia es-
dunt. 2 Thess. II, 9.

§. XCIV.

*Obsignatio
operum gra-
tiae.*

In primis autem obsignant credentes *opera diuina in re-
gno gratiae*, quorum veritatem in animis suis experti sunt,
et adhuc experiuntur. Vere ad Christum vocati sunt; ve-
re illuminati; vera gaudent fide; iustitia Christi vere ipsis
est imputata; vere remissa sunt ipsis omnia peccata, ita, vt
amplius propter Christum ipsis vere non imputentur; pa-
ce cum Deo ac tranquillitate animi vere fruuntur; Spir-
itus sanctus vere inhabitat in animis eorum, cuius ductum
atque impulsum vere sentiunt; nouas vires ad sanctimo-
niam vitae vere acceperunt; Dei imago vere restaurata est
in ipsis: hinc fit, vt Deum suum vere ament; in viis
Domini vere ambulent, et in dies incrementa in vita san-
cta vere capiant. Immo gratiae diuinae efficacissimae fide
praediti locum in se vere relinquentes, in calamitatibus so-
lamen diuinum vere habent, prouidentiam Dei specialissimam
vere experiuntur, influxum diuinum gratosum vere sentiunt,
etc. Quid inde? Certissime sunt perfuali, se ex Deo na-
tos esse; Deo adhaerent, Deo se tradunt et commendant;
celebrant ac laudant Deum; adnunciat quoque aliis, quam
bonum habeant Deum, quamque bonum sit celebrare Ie-
houam, et psallere nomini Dei excelsi, et quam dulce sit,
enarrare vnoquoque mane benigntatem, et veracitatem ipsius
quibusque noctibus. Ps. XCII, 2. 3. Certiores quoque
sunt redditii atque spe firmissima praediti, Deum opus suum
in ipsis in regno gloriae vere consummaturum esse, eos-
que ab omni malo tandem vere liberaturum, atque omni cae-
lestium bonorum libertate vere impertiturum. Haec est confes-
sio, confirmatio obsignatio credentium vera. Habet Deus opus
suum in ipsis vere. Vere sunt opus Dei. Eph. II, 20. A
morte

morte spirituali ad vitam spiritualem vere transierunt. Vere sunt conuersi. Diuinæ naturæ vere participes facti sunt. Deum vere colunt, cet. Omnia haec debent Seruatori suo, cuius testimonium receperunt. Quare in Christo opera Dei vera celebrant, omnemque ipsi gloriam et animo et ore et tota vita tribuunt, ac nihil magis in votis habent, quam vt omnes homines verum Deum vere agnoscant, nomenque iplius ab omnibus in terris omnibus vere celebretur. Pl. CXLVIII.

§. XCV.

Tandem Deus *in verbis suis* veritatem summam exferit, quam testimonium Christi recipientes multis modis obsignatio verborum diuinorum. obsignant et testificantur *). Verba Dei conueniunt cum voluntate Entis perfectissimi, declarantque, quid Deus secundum veritatem suam essentiale velit aut nolit. Manifestatio haec partim in lege, partim in euangelio facta

X 2 est.

*) Fidei obsignatio non pendet ex aliquo, quod in nobis sit. Ita enim semper incerta nutaret et dubia fluctuaret: sed fundatum habet in veritate Dei, et hoc obsignat Deum veracem esse, qui se ipsum negare non potest, non absolute tantum et in genere, sed quod Deus in iis, quae in Filio et per Filium loquitur et promittit, verax sit, quod scilicet ea, quae in Filio promittit, certe praefitet et praefastare velit, quicquid contra obiciant diabolus, mundus, caro et ipsa denique etiam experientia. Quam certa enim et firma est Dei veritas; tam infallibilis etiam est salutis nostræ fiducia. Mutuo enim sibi correspondent veritas Dei et obsignatio fidei. Et notetur: qui Filio non credit, etiam si in genere cogitet, Deum esse veracem; tamen mendacem ipsum facit: 1 Ioan. V, 10: quia in Filio et per Filium loquitur nobis Deus. Haec sententia de obsignatione dulcissimam praebet doctrinam de verae fidei certitudine contra mortiferum dogma pontificiorum de dubitatione, CHEMNI TIAS in Ioan. III, 33.

est. Praecipit Deus, tamquam summus imperans, ac mandat, obedientiamque a nobis postulat et intensuam et extensuam, viresque ad exsequendum ea, quae praescribit, nobis in prima creatione nostra indidit sufficientes: comminatur quoque refractariis poenas iustissimas et in hoc et in futuro seculo. Promittit Deus obedientibus moremque ipsi gerentibus quaevis fausta, quibus eos per totam vitam et in omnem cumulat aeternitatem. Quum vero ex hominum culpa foedus legale irritum sit factum, ita, ut summus legislator ob peruersitatem, caecitatem et malitiam lapsorum finem suum ultimum, qui ad salutem hominum directus est, adsequi haud possit; quum viribus ad parendum creatori suo necessariis priuati ac deſtituti ſint: ingenti stupendaque permutoſt eſt ſumnum Numeſ bonitate ac ~~φιλαθεωπιας~~, ut nouum cum hominibus perditis pactum inire decreuerit, quod gratiae ac misericordiae diuinae eſt pleniffimum. Filium nempe vincitum destinauit, promiſit, ac dedit ſponſorem, redemptorem ac ſeruatorem, ob eumque omnibus credentibus in nomen eius vitam pollicitus eſt aeternam. Promissa haec mere euangelica fideles ex Spiritu sancti illuminatione ſalutariter cognofcunt, ac teſtimonia promiſionum euangelicarum in ſe recipiunt, immo ſentiuſt atque experiuntur in ſe quaevis bona, laeta, iucunda, in communione cum Christo per euangelium ipſis oblata ac donata: quapropter teſtes ſunt fide digni atque omni exceptione maiores; quippe ex ſua experientia teſtimoniū ſirmum reique ipſi omni ex parte conuenientiſſimum edere poſſunt, doctrinam Iehouae integrum eſſe, reſtituentem animam; teſtimoniū Iehouae verax eſſe, ſapienſiam adſerens imperito; mandata Iehouae recta eſſe, laetificantia animum; praeceptum Iehouae purum eſſe, iluſtrans oculos; reverentiam Iehouae mundam eſſe, conſiſten-

fistentem in sempiternum; iudicia Iehouae ipsam esse veritatem, pariterque iusta. Ps. XIX, 8. 9.

§. XCVI.

Quemadmodum vero credentes generatim testificantur, verbum Domini esse veritatem, Ioan. VIII, 40. XVII, dictaque Iehouae pura esse, ab omni mendacio, simulatione et dissimulatione remotissima; Ps. XII, 7; ita speciatim praecipue obsignant confirmantque *promissa euangelica*. Ex coniunctione enim supernaturali interna testantur, 1) Iesum verum esse Messiam, omniaque vaticinia veteris testamenti in eo esse impleta; Ioan. I, 14. 17; 2) eum obedientia sua actua et passiva Deum nobis reddidisse conciliatum, nosque a peccatorum culpa, poena ac dominio liberuisse; 2 Cor. V, 19; 3) in eo unico veram hominum inueniri salutem, animique tranquillitatem; Act. IV, 12; 4) eum omnes peccatores, qui contrito sunt animo ad eumque vera fiducia se conseruant, summo amplecti fauore, veramque ipsis impertire felicitatem; Ioan. VI, 37. 44; 5) vitam aeternam credentes in Christo vere adipisci, eosdemque bonis caelestibus cum maxima animi voluptate frui; Ioan. III, 36. Eph. I, 3. Ps. XXXVI, 8. 9. 10; 6) robur spirituale fidelibus inesse, ut in Christo sancte vivere possint; Col. II, 6. 7; 7) Deum omne, quod promisit, certissime in commodum suorum propter Christum praestare; 1 Sam. XV, 29. Ps. LXXXIX, 34. 35; 8) solamen diuinum in aduersis, auxiliumque diuinum in calamitatibus iis non deesse, qui Deo confidunt; Ps. CXIX, 76. 1 Cor. X, 13; 9) Deum numquam deferrere ipsis vera adhaerentes fide, sed potius in statu gratiae ad vitae finem conservare; Ps. XL, 12. Sap. III, 9. 1 Petr. I, 5. 6; 10) Deum exaudire preces in nomine Christi susas, eumque respondere creditibus cum ipso

ipſo colloquentibus; Ioan. XVI, 23. Matth. VI, 7. 8; 11) Deum confirmare ſuos vsque ad finem inculpatos in diem Domini noſtri Iesu Christi, fidelemeſque eſſe Deum, per quem vocati ſunt in communionem Filii ipſius, Domini noſtri Iesu Christi; 1 Cor. I, 8. 9; 12) ſpem fideliū fundam eſſe, firniā ac viuam, complementumque ſalutis eorum post hanc vitam certiſſime euenturum, confeſſionem ideo ſpei non eſſe vacillantem, fidelemeſque eſſe Deum, qui promiſit; Hebr. X, 23. 1 Petr. IV, 19; 13) Deum tandem ſuos aduersus impios defendere, alia ſua eos protegere, quum ſub alas ipſius ſe recipiant; immo clypeum et parma eorum eſſe veracitatem ſeu fidelitatem Dei. Pi. XCI, 4. LXX, 23.

§. XCVII.

Ita fideles, Spiritu sancto obſignati, obſignant, Deum eſſe verum. Confeſſio eorumdem ex animo credente Christumque amante oritur, nec non ex impulsu Spiritus veritatis. Viua in ipſis eſt de ſalute in Christo cognitio, quae voluntatem mouet, vt ſalute in Christo vere fruantur, vitamque degant praefcripto diuino conformem. Finem ergo ultimum obſignationis paſſiuae et actiuae conſequuntur. Sunt felicissimi hominum, quibus per omne tempus hoc unicum maximopere vehementiſſimeque curae eſt cordique, vt Deus in Christo per Spiritum sanctum glorificetur.



RESPON-



RESPONDENTI
AESTVMATISSIMO ET DOCTISSIMO

Xάρων, ἔλεος, εἰρήνη

AD PRECATVR

P R A E S E S.

Praeter opinionem meam evenit, ut longior fuerim in disputando argumento de *obsignatione Christi et credentium*, quam sub initium proponueram. Namque copiose more atque uberiori deprehendi in ipsa meditatione hanc doctrinam, quam ut in breuem sumnam contrahere, atque oratione amputata et circumscrippta potiora rerum momenta strictim colligere possem. Siquidem vnumquodque argumentum, de quo exposui, ita est comparatum, ut libellum requireret, si omnia, quae dici possent, proponere in animum quis induceret. Quare et doctissimum d'OUTREIN ingens volumen de *obsignatione credentium* fermone belicico conscripsisse audio, quod vero inspicere mihi non licuit. Quum itaque grauioris rei conditio posularet, ut fuisse et uberioris disputationem, nec mihi animus esset, dissertationes academicas limites excedere, sed potius dividere statuisse tractatum, et repetitis vicibus cathedram adscendere disputationam: pergratum ac perquam acceptum mihi fuit, quod comitem TE, AMICE DILECTISSIME, natus sum, quodque lubens promisi, veritates de *obsignatione credentium actiua* strenue propugnare et defendere. Nullus quoque dubito, TE talem in disputando certissime futurum, qualem TE iam dudum cognitum habuerim: quin de exitu certainis academicis atque eruditis felice TE BIQUE exoptatissimo, cum magna animi confidentia diuino eumque angor; adiunctatis TVAE in studiis et morum TVORUM integritatis haud immemor. Instruimus enim TE reperio ab omnibz scientiarum genere, quibus studiosa iuventus impertiri solet: tempisque scholasticum pariter ac academicum TE perbene collocasse, cum voluptate animaduerto. Testes diligentiae TVAE sunt Praeceptores, quibus olim in schola latina orphanotrophei Halensis per lustrum usus est. Testes quoque habes in alma Frideriana Professores et Doctores celeberrimos, FRANCKIVM neimpe, MICHAELIS, BAVMGARTENIVM, CALLENBERGIVM, KNAPPIUM, FREYLINGHVSIVM, STIEBRITZIVM, WEBERIVM, quos viros honoris causa nominio, quorum lectionibus paraeneticis, exegeticis, dogmaticis, moralibus, hermeneuticis, polemiciis, historicis, philologicis, disputationis, logicis, metaphysicis, iuris naturalis, et mathematicis, per trium anporum et semestris spatii sedulus interfui: nec ego non TE in scholis meis symbolicis, asceticis atque homileticis auditorem habui attentum atque industrium. Ita bene praeparatus solidique institutus non nisi victor bellum eruditum cum laude finire poteris. Gratulor itaque TE I ex animo specimen eruditonis TVAE publice

publice edendum: et quatenus laus ex Christo, salutis fonte, **TIBI** adprecor; quo tandem confessio veritatis diuinae euadas ex vunctione atque obsignatione Spiritus sancti et fidelis et prudens. Ita sicut, ut ecclesiae salutem vere promovere, **PARENTI TVO VENERANDO**, *Fautor i meo singulariter colendo, solatio, tuis que ornamento ac decori esse, nec non iis, qui TE amant, **TIBI** que laus, maximam voluptatem creare quas.* Vale. Halae in Academia Fridericana Regia, d. III. April. MDCCLIV.



MONSIEUR,

Le droit d'ancienneté, qui me paroit pour le moins aussi important dans une ferme amitié, que celui d'un Pair ou Duc de France aux Sefflons et aux Ceremonies publiques, me donne ici un Privilège tout particulier de Vous temoigner publiquement, combien je Vous estime. Le morité, que je Vous trouye depuis de longues années, m'oblige à me croire très honoré d'un ami si docte et si vertueux et qui me juge digne d'un debat des vérités les plus importantes. Sachés, Monsieur, que Vous ne pouviez mieux choisir. Je sui, combien Vous possédés de penetrations; je connois de longue main les intérêts, que Vous prenez à l'accroissement du vrai et de la véritable connoissance du bonheur suprême. Ces mêmes, vués me rendent Votre adversaire. Vous me faites le defi, non dans le dessein de triompher vainement, mais d'éclaircir plutôt des points importans de la science, que nous professons. La vérité n'est voilée, que parmi les mortels. C'est à eux de tirer le voile moennant les lumières, qu'il lui plaît de leur inspirer. Considerons en ami ce voile mystérieux, tâchons d'en percer l'obcurité à force de contemplations, de recherches, et même d'oppositions. C'est le moyen, d'y voir clair. Mais ne nous contenus pas aussi de cette occasion solennelle pour approfondir le peu de vérités, auxquelles nous réduis et le sens et l'usage. Continuons, je vous conjure publiquement, cette ardeur sincère, pour tout ce, qui s'appelle connoissance et vertu. Ne cessons jamais, de nous y attacher, de la suivre pas à pas jusques dans les ténèbres du Vrai. Soions Ainsi pour ce grand dessein. Aimons nous pour mériter ces lumières sublimes, attachées à la recherche sérieuse de la vraie beauté de l'âme. Aimons même la vérité, pour nous aimer plus réellement. Il n'y a rien au monde, qui unisse plus efficacement, qu'un désir reciproque de se voir des perfections en matière de sagesse et de science. Vous en tombes d'accord, Monsieur et je fais gloire de me dire

MONSIEUR

Votre

à Halle
le 3 d'Avril 1754.

très-humble et très-affectionné
ami et serviteur
Charles Auguste Struensee,


01 A 65 38

ULB Halle
002 933 470

3



56.



50

52

DISSERTATIO THEOLOGICA POSTREMA
DE
**OBSIGNATIONE
CHRISTI ET CREDENTIVM:**

QVAM,
AVXILIANTE DEO PROPITIO,
PRAESIDE
A D A M O S T R V E N S E E,
S. S. THEOL. PROFESSORE PUBLICO,
PASTORE AD AEDEM B. VLRICI, ET GYMNASII HALENSIS
SCHOLARCHA,
PATRONO ET PRAECEPTORE SVO
OMNI PIETATE AETATEM SVSPICIENDO,
AD DIEM APRILIS MDCCCLIV.
H. L. Q. C.
PUBLICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIE T
GOTTHILF GVSTAVVS VHDE,
MEZLICHA MAGDEBURG. S.S.THEOL. CVLTOR.

HALAE,
LITTERIS GEBÄVERIANIS.